



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex
Tomorvm Editionem ...

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 ZV 1269

IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

DECEMBER.

VITA BREVIS S. PROCVLI

ARCHIEPISCOPI RAVENNATIS, VT HABETVR IN HIERONYMI RVBEI RAVENNA.

tus historiographi libro primo.

1. Decemb.
S. Proculus
diuinitus
eligitur
Episcopus.



Feliciter
obit.

CALOCERO Archiepiscopo, qui annum ætatis centesimum superabat viridi senecta, Proculus sextus subrogatur Rauennatum Archiepiscopus, ab columba præmonstratus, natione Syrus, cuius parentes ex Antiochia, vna cum D. Apollinare venerant. Qui cum ad Christi præcepta, vitæ suæ cursum accommodasset, iusteque cum fide vixisset, optimè de Rauennati ecclesia meritis, deuexa iam ætate Calendis Decembris vitam cum morte commutauit. Sepultus ne apud Aderitum Calocerumque, an in D. Eleocadij, incertum. Id cõstat, obiisse sub id ferè tempus, quo Iginus, qui Telephoro in Pontificatu successerat, obruncatus est.

VITA S. LEOCADIAE VIRGINIS, VT

HABETVR IN LVCII MARINEI SICVLI, REGII

Historiographi, historiarum Hispaniæ libro quinto.

9. Decemb.

S. Leocadia
patria

Carcerei
mancipatur.

Eius obit.



LEOCADIA virgo celeberrima Toleti orta fuisse perhibetur, quæ propter sanctissimos eius mores & Christi cultum, cui feruentissimè seruebat, à Daciano Hispaniæ præfecto tanquam Christiana capitur, & apud urbem Toletanã carceri mancipatur. Vbi cum grauissimos beate Eulaliæ, & reliquorum martyrum cruciatus audisset, positus in oratione genibus, quinto Idus Decembris impollutum Deo reddidit Spiritum. Sunt qui dicunt Leocadiam crudelissimis Daciani satellitibus, ab altis Toletanæ urbis moenibus fuisse præcipratam, vsque ad locum vbi nunc eius ecclesia colitur extra urbem. De cuius vita & morte plures etiam scripserunt.

PASSIO SS. MARTYRVN NICHASII EPISCOPI RHEMENSIS, ET EVTROPIAE SORORIS EIVS AC SOCIORVM,

vt habetur in per antiquo MS. codice, cui suffragantur antiquissima martyrologia. Habetur quoque eisdem ferè verbis in Spec. Vincenij libr. 21. cap. 37.

14. Decemb.

S. Aniani
vitã quare
17. Nouemb.
Tom. 6.

V Vandali
debellant
Rhemenses.



TEMPORE quo V Vandali multas vrbes subuertentes, per diuersas prouincias, nihil aliud quam Christianorũ sanguinem sitire videbantur, clarebant in Gallijs Nichasius Rhemensis, & Anianus Aurelianensis Pontifices, magnis prodigijs & virtutibus insignes: Qui meritis suis ac precibus, hanc iram indignationis Dei diu differre decertarunt, vt populũ interim ad penitentiam reuocarent. At illi thesaurizantes sibi iram, nullatenus eorum præceptis salutaribus optemperabãt. Interea V Vandali castrametantur circa urbem Rhemorum, & omni regione depopulata, Christianos potissimum, velut deorum suorum inimicos, & moribus paganorum contrarios, omnino delere satagebant. Vltimo itaque subuersõnis die, illis circumquaque fortiter præliantibus, ciues terrore percussũ, ad sanctum Nichasium in orationibus prostratum cucurrerunt, interrogãtes

SURIUS

q. ber
Wolter
RVIII
5